



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1670.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

declinaret vir prudens, primùm aulam, tum etiam ipsum regnum reliquit. Joanni Austriaco delata administratio regni Arragoniæ.

Mons Æthna renovavit antiquos Siciliae terrores mense Martio, dum in plures voragine apertus circumquaque ignes, saxa, & cineres evomeret, aliquot vicinis pagis repetitis terræ concussionibus, aut quassatis, aut attritis,

A N N U S 1670.

Post mensium quinque consultationes collocatur in sede Petri pene coactus suffragantium votis & precibus Æmilius Altierius qui se dixit Clementem X.

Detecta hoc anno conjuratio periculosissima, quam cuderant nonnulli Magnates Hungari adversus Leopoldum Cæsarem eumque Regem Hungariæ. Conspirationis primipili Petrus Zrinius, Franciscus Frangipanius, Franciscus Nadaftius Comites cum Erasmo Comite Tattenbachio Styrio in vincula coniecti, urbes & arces, quæ rebellibus secretò vel favebant, vel favere meditabantur, terrore & armis aut cohibitiæ, aut ad officium reductæ; Ungaria tota, quam antea quasi precariò administrabat Leopoldus, infesta milite Germano,

Tumultuatum pro more in Polonia in
Diætiis ante comitialibus. Rati habitum
tamen Matrimonium Regis cum Sorore
Cæsaris, & sancita pax cum Duce Moscho-
rum, rebellésque Cosacci cum suo Ductore
Dorosenickio victi & fugati.

Gravius sævitum à Messanensibus adver-
sus Pro-Regem aliósque Ministros Regios
quorum alii fuère à Senatu Urbico inclusi
in carceres, alii afflicti equuleo, alii ejecti
in exilium.

Lotharingia repentina invasione obruitur
à Gallis ægre elapso hostium manus ipso
Duce Carolo hujus nominis IV. cujus fra-
ter Franciscus, qui primum Cardinalis &
Tullensis Episcopus, postea renunciata pur-
pura & infula factus est conjunx Consobri-
næ Claudie & Caroli V. magni illius Leo-
poldi Archistrategi parens decessit hoc ipso
anno Viennæ.

Ferdinandus Carolus Dux Mantuæ acci-
pit investituram Ducatus Vastallensis à Cæ-
sare ex occasione matrimonii, quod contra-
xit cum Maria Ducissa Vastallensi.

In Dania obiit Fridericus hujus nominis
III. Princeps ingenio mitis & religioni ul-
tra Principum curas addictus, cujus ratio-
nes

nes & momenta crebris lectionibus scrutabatur, hoc uno infelix, quod mentis dubiæ scrupulos nemo Catholicus absterferit.

ANNUS 1671.

Pontificatum Clemens X. auspicari voluit quinque Beatorum apothefi, quos solenni ritu Sanctorum numero adscripsit. Hi fuere Cajetanus Thieneus, Philippus Benitius, Franciscus Borgia, Ludovicus Bertrandus, & Rosa Limana, omnes festivis ubique plaufibus celebrati per orbem Christianum.

Hoc anno demum post longos sed inutiles questus conjuratæ rebellionis pœnas dederunt supplicio ultimo captivi Magnates Hungari. Post cædem mutatus antiquus status Hungariæ, suppressis nonnullis officiis, quorum autoritate vel capta vel promota fuerat rebellio, templa ab Hæreticis repetita, eorum ministelli, quod de justitiâ Cæsaris malè loquerentur, ex regno faceffere jussi, arces insuper nonnullæ exstructæ, quibus gens lubrica fidem suam contineret.

Lotharingiam frustra repetit à Rege Galliæ Cæsar, per ablegatum Comitem Windisgrazium exuli Duci Carolo.

Tumultuatum hoc anno iterum, iterumque